



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Monachus fulmine, contra militis rapinam, defensus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

verò in nullo laesus est, Clerico extincto, cuius genitalia exusta sunt, reliquo corpore intacto, quae filius eius accurrens, calcando extinxit, & auulsi. Ex quo patet, fornicatorem illum fuisse. Vestimenta verò eius ita sunt lacerata, ut nulla particula cohereret solida parti, nec solida essent; excepta illa particula, in qua dependere solebat manipulus, in sinistro brachio, sed stivalia sua, quae noua erant, ita sunt dilacerata, ac si fuscinnulis dissipata essent, solea verò sic sunt fracta, ac si in aqua feruida fuissent decocta. Campanarius verò, in maximo timore & stupore jacens, vidit demones insultum facientes in Ecclesia: sed & capsula, quae erat post altare, profiliit super altare, & apertura facta est in eà, quae adhuc ita remanet. Sancti verò, quorum reliquia ibi sunt, egressi fortiter resistebant demonibus, & factum est, inter Sanctos & demones, vehementissimum certamen: tandem deuicti demones, cum corpus Domini asportare non possent, partem tecti secum abstraxerunt. Refert idem Campanarius, quod corpus Sacerdotis, usq; ad tectum turris, sub qua simul pulsantes steterant, & sub qua prostrati jacebant, violentia demonum aliquoties sit raptum, sed beneficio Sanctorum relapsum. Aiunt, Clericum eundem tunc de nouo acquisisse coronam chorisando, quam quasi victor, juxta domum, suspendit, ut ibi stulti homines luderent, ducerentq; choreas. Subiungit, his narratis, Apollonius: Sicut in hoc Sacerdote considero, in laceratione vestium atq; calceamentorum, Deus puniuit superbiam; sic in exustione genitalium luxuriam. Respondet Caesarius: bene sentis, quia saepe poena respondet culpa. Hoc etiam scire te volo, & probare exemplo, quod sicut Deus, ut dictum est, malos per fulmina, atq; tonitrua de caelo punit, ita per eadem aliquando bonis succurrit. Dixit quidam: Multa, ex quo fuerint commoda, eius incommoda equum est ferre. Commoda ergo ignis cum sint plurima, nemo debet de illius incommodis conquiri. Quanquam pro incommodo habendum non est, si igne coelestis iudex reos plectat, cum eadem opera vel moneat, vel defendat innocentes. Tradunt operas mutuas, Iustitia & Misericordia Numinis. In quam rem pergit Author.

Richuvinus cellarius noster, cum, die quadam, tempore discordia inter saepe dictos Reges, de Colonia exiret, non procul ab vrbe, plures armatos ex latere stratae publicae, in suis dextrarijs sedere conspexit, quibus visis, cum satis timeret, vnus ex eis cursu rapacissimo ad eum veniens, equum eius per franum tenuit; quem his verbis superbè allocutus est,

D 2

dicens:

XIV.
Idem lib. cod.
cap. 30.